

ceptis Dei non directe contradicentes, quia modico oleo crevit maximus ignis, & fomes peccati semper ad malum inclinatur. Sufficit pro huius probatione doctrina Christi omnium dignissima dicentis. Expedit vobis, ut ego vadam. Ni si enim ego abiero para. non veni, ad vos. Si autem abiero, mittam cum vobis.

Signa q-  
bus co-  
gnosci-  
tur ad ef-  
fe. S. S.

Ad tertium. Evangelium aliqua signa ponit aduentus spiritus sancti. scilicet reprehensio conscientie de fidei debilitate, de iustitie imperfectione, de iudicij futuri defectuoso timore. Hec enim in se cognoscens homo, & emendam si, propositu concipiens, testimonium habet spiritus sancti. Quo contra negligentes habent spiritus sanctum testem contrarium. Ipse enim est, qui reddit testimonium spiritui nostro.

Qui ergo credit in Christum, ei amore inherendo, hic habet testimonium. Refert autem credere Deum, & in Deum. Credere in Deum non est sine spe, & charitate. Credit ergo in eum, qui ei charitate vnitur, & incorporatur. Aug. serm. 62. de verbis euangelij. Secundum signum est propositum de recuperando iustitiam neglectam, hoc est propositum firmum conformandi se voluntati diuine. Iustitia enim, de qua spiritus sanctus mundum arguit, est iustitia legalis, non particularis. scilicet efficax impletio omnis paterne voluntatis, & obediens subiectio toti legi. Sic enim ait apostolus. Humiliauit semetipsum factus obediens &c. Misericordie fuit, quod causam nostram agendo peccata nostra portauit in corpore suo super lignum. Iustitie fuit, quod post gloriosum mortis triumphum ad patrem rediit. Hec enim iusta quedam merces fuit obedientie illius, qua factus est obediens usque ad mortem ignominiosissimam, sententia est Aug. ser. 62. de verbis euangelij. Merito ergo mundus de iustitia Christi, qua ad patrem vadit, arguitur, qui, quae sua sunt, querit, non quae Iesu Christi, per inobedientiam, & non impletionem legis, qui est amor effectiuus. Et sic redargutio de peccato est redargutio de amore effectiuo, sed de iustitia est de

amore effectiuo. Siquidem iustitia via est ad regnum, sicut ait dominus. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Mat. decimono. Tota vero iustitia est legis obseruatio. Hanc vero Christum tenuisse, probat patens ascensus eius ad patrem. Si enim iniustus, & non ex Deo fuisset (ut iudei conuictando dixerunt) ad patrem non ascendisset. Tertium signum est, si timeamus iudicium finale futurum, quia si diabolus princeps mundanorum iudicatus est sententia damnationis, & nos, qui membra eius sumus, iudicabimur. Si enim nos hic iudicauerimus, concipientes propositum salubre viuendi Deo, non iudicabimur a domino. Ideo hic attendamus arguente spiritum, & reformemur ad eius correptionem, ut ibi cum habeamus eundem nos saluantem, & omnia remittentem. Discamus ergo in fide solidari, sine qua impossibile est placere Deo, vnde & peccatum infidelitatis antonomastice peccatum dicitur. Et quia omnis malus ignorans 3. Eth. imitemur iustitiam eius, qui ascendit ad patrem, non patiamur frustrari exemplar nobis ostensum. Non solum est vita in praemio, nec veritas tantum in verbo, sed via in patienti conuersationis exemplo. Timeamus iudicium, quia si princeps mundi huius iudicatus est, si peccantibus angelis non peperit 2. Pet. 2. si non originali mundo, si non Sodomitis, si non Israel in deserto Quid de nobis fiet? Hec cogitantes, & opere perficientes, testimonium habemus spiritus sancti praesentiae.

DOMINICA CANTA-  
te Sermo. II. in ordi-  
ne. XLV.

CV Mvenerit ille, arguet mundum de peccato. Io. 16.

Saluator noster ex hoc mundo transiturus ad patrem, discipulos, quos ex omnibus mundi huius hominibus elegerat

vt